

QK. 517. 29.

X 186 3255

II g
845

Q. F. F. Q.

Disputabunt

Ampliss. Facult. Phil. Lipsf.
indultu

De

MAGISTRIS,

PRÆSES

M. FRIEDERICUS ZIEGNERUS,
Altenburgensis,

&

RESPONDENS

A D A M U S F R A N C U S,
Numburgensis,

Philos. & LL. Stud. Elect. Saxon. Alumn.

23. Decembr. 1671.

EDITIO SECUNDA



LIPSIÆ,

LITERIS FICKIANIS.



Philos. Magistris & Professoribus
in Academia Lipsiensi,
Nec non
In Eadem inclytæ Facult. Philoso-
phicæ Assessoribus,
PATRONIS, AMICIS,
O. & S.

Cum

Felicissimo Anni capularis exordio !

Universam de Magistris doctrinam, nobilem sanè & politi-
cotatam, *duarum Dissp. cancellis* includere animus erat, pro
ingenii quidem minus subacti, minusque in hoc Studii ge-
nere exerciti viribus. Verùm *ἀπὴ ἐπιτυχτὸς βελή.* Neque fortasse
pœnitebit mutasse consilium, Modò *benevolentissimum Lector* man-
ca hæc & mutila, Disputationi priori destinata, æqui & boni con-
sulat. Quod equidem eò certius ab Ipso mihi polliceor, quò certi-
orem Eundem facio de reliquis, quæ de *Magistrorum Virtutibus,*
dignitate, Privilegiis & consimilibus dici possunt, sub alio, quàm
Disputationis, schemate, publicè edendis; Non pruritu aliquò
scripturandi, quem silentium meum plusquàm Pythagoræum
refellit, percitus, sed ex debito. Dum enim, *Magistri & Pro-*
fessores venerandissimi, Academia vestra perinclyta me, ante bien-
nium ferè, Magistrum fecit, debitorem fecit. Debitum jam ex
parte, & serò, solutum benevolè accipietis, residuum æquo ani-
mo expectantes. Non effugiam oculos Vestros, *Academiae Lu-*
mina, quod debitorum malorum proprium est in quarto modo.
At tamen fugio. Scilicet Indignationem Vestram, vel levissimam,
cujus quidem indicia nulla scio, nulla metuo, de Amore Vestro in
me certissimo certior. Valetè, properrò Amate, Juvate

Nom. Vestr. Augustorum

devotissimum

clientem

M. FRID. ZIEGNERUM.





CHRISTO REDEMPTORE SOSPITANTE!

SECTIO I.

PHILOLOGICA!

CAP. I.

ORIGO.

§. I.

Magistrum hic intelligimus *nominalem & Grammaticam*, non *realem*, de qua alibi, DEI Patronorumque indultu. Eam autem sextuplicem facimus, *Latinam* triplicem, *duplicem Græcam*, *mixtam* unam. Quod *Latinam* attinet, sunt, qui vocab. Magistri à Verbo antiquato *Magisterare*, quod Festo idem est, ac *Regere*, *Moderari* deducunt **A**).

Alii, quibus pollicem premit celeberrimus **DAUMIUS**, Affinis & Amicus hereditario quasi Jure nobis quaesitus, derivant ab itidem obsoleto verbo *Magere*, quod res magnum esse æquipolluisse in vulgus notum est.

Non adeò multum ab his abludivit ex **JCTis** Paulus in **L.57. de V.S.** qui ab Adverbio comparandi *Magis* Magistrum petit. Debent enim Magistri *magni* esse doctrinâ, & docti *magis* esse cæteris, hęc Titulô nondum decoratis. Sed quid tunc erit ultima syllaba *ter*? Sanè nihil minùs, quàm numerandi particula. Et absurdi omninò sunt, qui Magistrum dictum putant, quasi aliis *ter*, quidni centies? majorem. Syllabica extensio est istud *ter*, ut in voce *meditullium tullisim*, adstipulante Berneggero loc. cit.

A

Hoc

Hoc postremum Etymum exosculantur & reliquis omnibus præferunt Besoldus β), Martinius γ), pluresve alii, quos rædiosè cumulare superfedemus.

A) Vid. Bernegg. Orat 1. p. 10. Frid. Taubmanno, lepto isti Capiti, idem est, quod, facere Magistrum, in Sched. Poët. p. m. 657. β) in dissert. de Studiosis, Magistris, &c. p. 83. γ) in Lexic. Phil.

§. 2. E Latio in Græciam tendimus. Obvius in eadem oppidò nobis fit Jul. Cæs. Scaliger, ostendens δ) fontem Græco-Perficum, $\mu\acute{\alpha}\gamma\omicron$, quod vocab. monente Scapula iis, quæ $\mu\acute{\iota}\sigma\alpha$ vocantur, annumerandum, ita ut non tantum veneficum & magicam artem callentem, sed & sapientem, rerumque Div. & natural. peritum significet. Ut adeò Magister à $\mu\acute{\alpha}\gamma\omicron$, per diminutionem quandam, dictus sit quasi parvus magus, teste Bernegg. in Or. cit. p. 11. Ubi addit, nonnullos, Magistrum ex his duabus partibus, $\mu\acute{\iota}\sigma\alpha$ & $\mu\acute{\alpha}\gamma\omicron$, conflatum esse, statuere. Ita Magister valere idem, quod *magnus scientiæ*, & idem fermè, quod Polyhistor.

δ) in Exercit. Conf. Calvini L. 1. p. 530.

§. 3. Restat mixta Etymologia, Latino-Græca Isidori Hispalensis, qui Magistrum ex his duabus vocibus, *Major* & $\sigma\tau\alpha\theta\acute{\iota}\omicron\nu$, quam ultimam putat notare *stationem*, prodire scribit. Ut sic magister nihil aliud sit, quam major in statione, sicuti, qui in statione minor, Minister. Verum dormitat hîc bonus Isidorus. $\sigma\tau\alpha\theta\acute{\iota}\omicron\nu$ enim stationem significat, $\sigma\tau\epsilon\rho\acute{\epsilon}\omicron\nu$ verò $\sigma\tau\epsilon\rho\acute{\epsilon}\omicron\nu$ firmum ac solidum, item durum & rigidum, ut in illo Euripidis, $\sigma\tau\epsilon\rho\acute{\epsilon}\omicron\nu$ $\Lambda\iota\acute{\alpha}\gamma\chi\chi$. Evolve, si placet, sæpius alleg Bernegg. p. 11.

§. 4. Hæc de Origine Magistri Grammatica dicta sunt. Qui plarium avarus, se immergat in Alberici Gentilis

tilis

tilis Lect. Virg. c. 4. Brevitatis studium aliò nos vocat.
Sit ergò

SECTIO I. CAP. II.

ÆQVIVOCATIO.

§. I.

Quot Facultates Academiæ, tot nobis acceptiones e-
runt vocis Magister. I. est, cum pro eo ponitur, qui
præst, sive qui curam alterius, seu rei, seu personæ, gerit. Ut
Vicomagistri, quorum meminit Rosinus l. 1. A. R. c. 14. in
pr. Magistri nundinarum, Rob. Maranta in Praxi, part.
4. p. m. 137. n. 85. Horreorum, Reines. var. lect. l. 3. c. 12.
Pagorum, Alb. Gent. L. V. c. 4. Auctionum, Cic. Navis,
L. 1. §. 1. de Exerc. act. Struv. Synt. J. C. Exerc. 20. §. 9. Of-
ficiorum, §. 3. procem. Instit. & ibi Locam. Ovium, Alb.
Gent. L. V. c. 4. Convivii, Bernegg. Or. 1. p. 24. qui Græ-
cis *συνμοιαιετοι* dicebantur. Plures ejusm. Magistros regentes
reperire licet apud Rosinum, Calvin. in L. J. & Bernegg.
in Or. sapius adductâ. Omnes enim Magistratus, quippe
& Magistro vocab. Magistratus natales debet, per L. 57.
de V. S. Magistri dici possunt & assolent. Statu inat id-
ipsum Lingva nostra in vocab. *Bürge Meister*; *Kaehs-Weis-
ster* & consimilibus,

.) Alb. Gent. Lect. Virg. c. 4. p. 39.

§. 2. II. Magister ponitur pro *Præceptore*, *Professo-
re*, vel *Doctore*, eoque cum *Ecclesiastico*, tum *Politico* §). Hie-
ron. ad Nepotian. Delicatus Magister est, qui pleno ven-
tre de Jejuniiis disputat. L. 5. §. 3. ad L. aquil. Ibi: Si Magi-
ster in disciplina vulneravit servum vel occiderit &c. L. 7.
C. de Prof. & Med. Ter. Andr. act. 1. Sc. 2. v. 18.

In hac significatione sæpenumero translata de *inanimatis doctoribus* usurpari solet. Ut in illo *πλυθρονάτω*, *Eventus stultorum magister*. Libros mutos magistros vocat. Erasmus 1).

2) Alb. Gent. L. V. c. 4. p. 35. 1] in colloq. p. 17.

§. 3. III. Pro eo, qui rei alicui nimium deditus est, rei que, seu honestæ, seu inhonestæ, cognitionem habet accuratam. Hôc sensu non absurdè Theologum excellentem Magistrum Theologiæ, & Jctum illustrem Juris Magistrum vocabimus. In scientia furandi Baccalaureos & magistros Lansius fecit in Or. contra Britann. 9). & Vanitatis magistrum ipsum Pontificem Rom. Paulum II. ea propter, quòd, de more virginum stolidè superbientium, fucis faciem concinnare non erubuerit 1). Dignum tam sancto Patre factum !

9] p. 547. 1] vid. Or. Lansii contra Ital. p. 778.

§. 4. IV. Et ultimò nomen honoris & dignitatis Scholasticæ est, & Philosophis proprium, à rebus Oeconomicis & Civilibus ad scholam tractum 2). Conf. Martin. L. Ph. Besoldus, 3). Petrus Senensis 4). & alii, qui de Homonymia Magistri fusiùs egerunt. Nos, missis cæteris acceptionibus, quartam hanc & ultimam (exceptis paucissimis locis, ubi obiter de aliis, unicè in Disp. nostra attendemus.

2] Id abunde ex §. 1. hujus sect. & Camerario Cent. 3. hor. succ. c. 61. patet. 3] in diss. de Studios 4] in observ. ad Ter. Andr. act. 1. sc. 1.

SECT. I. CAP. III.

SYNONYMIA.

§. I.

Vagabimur hîc per lingvas. Germana primas teneat. Hæc

Hæc Magistros *Meister* vocat. Ne sordeat Tibi appella-
tio hæb, B. L. neque sartoris acum sutorisve mustricolam
redoleat. Magna siquidem differentia inter Magistros
intercedit, & commune quid habere cum altero, non sta-
tim communitatem omnem & omnimodam similitudinem
importat. Ipsius Academiae nostræ Ducis & Autoris,
Friderici bellicosi, Filius Serenissimus in Rescripto de
anno 1456. quod de permutatione Collegiorum duorum
Lips. loquitur, Magistros compellat. Verba hûc per-
tinentia hæc sunt: *Die Doctores, Meister und andere
Gliedmassen.* Et paulò post cum aliquo additamento:
den Meistern der freyen Künste. Quamvis omninò faten-
dum sit, Magistris, extra ejusmodi casum, Germ. vocem
Meister neque simpliciter & absque addito Nomine, ne-
que cum Nomine solere imponi. Quod si enim quis Ma-
gistrum, cui v. g. nomen Christophori esset, nominari
audiret *Meister Christoph*, certè citiùs aut opificem ali-
quem aut planè rigidum istum morum censorem intelli-
geret, quàm *Dominum Christophorum Magistrum.*

Tantum Tyrannus omnium maximus valet, *Usus.*

§. 2. Latini Magistrum quanquoque *Doctorem* vo-
citant. Quandoque, dico. *Doctor* enim nullatenus perpe-
tuum est & æternum *Magistri* Synonymum. Duos nos
tantùm tempora scimus, quibus Philosophiæ Magistri
Doctoris nomine insigniuntur. Alterum Promotionis est,
Promotionis ulterioris alterum. *Promotionis*, ubi scilicet
Laureæ Philosophicæ primæ Candidati à *Decano*, in actu
Promotionis, simul Philosophiæ Magistri & Doctores
publicè renunciantur. *Ulterioris Promotionis*, quando
Mitra Magisterialis purpurâ Doctorali illustrior reddita
est. Tum enim Philosophicum M. Metamorphosi hæcte-
nus consvetâ, abit in molle & jucundum D. & Philoso-
phiæ

phiae Magistri non amplius Magistri, sed Doctores, hoc pacto, v. g. Philosophiae & Medicinae Doctores, salutantur. *Excipe* praecipuam & non nisi cum laude & reverentia nominandam *Facultatem, Theologicam*. Haec quid praecipui praereliquis habet. Qui enim in illa Doctor creatus est, licet Magisteriali prius tiarâ exornatus fuerit, nihilo tamen minus solius Theologiae Doctor scribitur, dicitur. An hoc ideo fit, *Viri Θεολογικάπειροι*, quod, sicut lumen majus minus obfuscat, ita quoque à majori Titulo minor quasi absorbeatur? An propterea, quod Doctores Theol. ut plurimum Magistri prius honores ambient, ita ut de quolibet Theol. Doctore praesumptio ferè hodie sit, ritè acquisiti Tituli Magisterialis, quem repetere inaniter & frustra videmini nolle? An denique Modestiae vestrae id damus, quippe cui repugnare videatur, tot Titulorum ampullis quaerere gloriam? Poterit alia fortasse ratio subesse, quam sive publicè, sive privatim, amicè tamen, communicetis quaesumus.

§. 3. Gallis Magister dicitur *Maistre*, item *Maistre es arts liberaux*, *Maestro* Italici. Hebraeum *Rabbi*, quod monitore Martinio v). dictioni *Magnus* vel *Magister* respondet, Hebraeis relinquo. Quae enim supra nos, nihil ad nos.

v) In Lexic. Philol. conf. : πίνυ *Conringius* Diss. 4, de A. A. p. 125.

§. 4. Graecanici sermonis obliti sumus nondum, quamvis vix ac ne vix quidem Graeculos nos esse fateamur lubentes. Perreptet autem, quicumque velit, Dictionaria, Nomenclaturas, Lexica, Sylvas, & sub Titulo Magistri aliud nihil inveniet, nisi *μαθηγητήν, διδάσκαλον, ἐπιστάτην*. quae omnia num significacionem Magistri Sect. I. cap. 2. §. 4. ἀνο-

á nobis allatam dignè exprimant, ambigimus. Superfunè
duo vocab. μαγιστρε & μαγιστρο, quæ tantundem, quod Lati-
norum Magister, valere possent; de quibus Meursius,).

.] in Glossar. Gr. Barb.

SECTIO I. CAP. IV.

CONJUGATA.

§. I.

Gignit Magister vox alias sic satis multas. *Nomina & Verba.* Ea tam Substantiva, quam Adjectiva. Inter *Substantiva* præcedat *Magistra* (τ), quæ dictio uxorem Magistri, sicuti *Doctrix* Doctoris, significat. Alias pro institutrice poni solet. Terent. Hec. act. I. sc. I. v. 7. Ei ludo magistram hanc esse satis certò scio. Lans. in Orat. contra Ital. Athenæ Græciæ *Magistræ*).

Magistram immediatè sequatur *Magistrandus*, qui Erythræo (τ) persona est titulo & Gradu Magistri propediem insignienda.

Magistellus parvum Magistrum notat. Vox in se non mala, sed idem fatum cum Vocab. *Calmeuser* (τ) passa.

Magisterii triplex acceptio est, Politica, Medica, Philsophica, & hæc ultima iterum duplex. Politicis dignitas est cujuscunque Magistratûs, v. g. militaris, cujus in L. 25. C. de Procur. mentio fit. Magisterium Medicum Medici definiant. Nolumus enim esse ἀποτεισιπιοκοπι, neque dici. Philosophicum nobis curæ cordique unicè est & esse debet. Sumitur autem à Philosophis 1. *Genericè*, pro quovis Doctoratu (τ) 2. *Specificè*, pro dignitate & officio Magistri. Ubi adhuc not. benè, Magisterium esse

B

No-

Nomen Abundans, & in *Fœm. Gen.* à bonis etiam *Autoribus* usurpari φ).

π] secundum *Sexus* solenne & antiquum. e] in *Or. contra Ital.* ρ] in *Or. quad. Argentor. hab.* ρ) de quo vid. *Oehlschlegelii Schol. priv. p. m. 10.* υ] vid. *Lanf. comm. de Acad. p. m. 74.* φ) vid. *Martin. L. Phil.*

§. 2. Jam ad alia *Substantiva*, & aliquantum remotiora. De voce *Magistratus* primum. Eam à *Magistro* derivari exertis verbis in *L. 57. de V. S.* dicitur. De *Magistrantia*, *Herba*, quam *Medicorum filii* cognitam habent, & *Germani Meister, Burg* nominant, vid. *Scaligerum* x). Obiter hîc adjicimus, quòd *Magister* dignitas fuerit illustris apud *Impp. Græcos*, quippe ad intima *Imperatorum consilia* adhibebantur, qui eâ gaudebant, teste sæpiùs laudato *Martinio* in *L. Ph.*

x.) *Exerc. 142. c. 5.*

§. 3. *Adjectiva* à *Magistro* deducta tria sunt, *Magisterialis*, *Magisterianus* & *Magisterius*. Primum *lippiis* notum & *tonforibus*, duo posteriora non æquè. *Magisterius* in *L. 6. C. de jurisd.* & in pluribus aliis legibus legitur. *Magisterianus* verò apud *Gothofr. ad Rubr. ff. de Exerc. act.* ubi benè monet, actionem *Exercitoriam*, de qua hîc tantùm agimus incidenter, ob rationem ibi allatam, *Magisterianam* potius, quàm *Exercitoriam* dici debere, mansisse autem nomen *Exercitoria* ob in elegantiam vocis alterius.

§. 4. *Verba multa* ψ) *Magister* haud genuit. Unum novimus *Magisterare* ω), per syncopen *Magistrare*, apud *Frid. Taubm. loco supra adducto* ζ), quem cum ob leporem & svavitatem, tum ob amium nomen *ZEIDLERI*, in cujus honorem & *Magisterium* carmen editum, non possumus non à principio ad finem adscribere. Ita autem se habet:

Pœta

Poëta sum, quales Poëta nunc sumus,
Sapientia tamen Magistram te creo,
ZEIDLERE, non cuiusmodi vulgus solet,
Quos ars magistrat nulla, nulla laus Boni;
Doctum sed artes optimas, vitâ optimum.
Testor Poëta non Poëticâ fide.

¶) An dicimus, nulla? Verbum enim Magistrare à Nom. Ma-
gister descenderè, nec à Verbo nomen, Benegg. scribit
or. i. p. 10. ^o) de quo vid. Disp. nostr. Sect. 1. c. 1. §. 1. ^o)
loc. modò cit. lit. A.

SECTIO II.
LOGICA.
CAP. I.
DEFINITIO.

§. I.

EX Rustico si quæras, quale animal Magister sit, pro
ingenii modulo responderet; quod in suggestu stat,
& concionari potest.

Rusticus rustice. Nos civili imbuti scientiâ, cum
Wendelino^β) Magistram, omissis mutatisque nonnullis,
nonnullis, civiliter definimus, quòd sit *Persona, quæ totius
Philosophiæ curriculo feliciter absoluto, summam in eâdem Lau-
ream, rigido præeunte examine, ritu solenni, accepit.*

^β) lib. 2. Inst. Pol. c. 30. th. 15.

§. 2. Generis loco generale nomen *personæ* posui-
mus, non Studiosi, ne definitio strictior fieret suo defini-
to, & in regulas Logicorum impingat.

§. 3. Reliqua verba Differentiam absolvunt speci-
ficam, quam à tribus rebus deduximus,

B 2

Primò

Primò omnium Magisterii Subjectum, vel potius
subjecti qualitatem internam diximus, in verbis: *Totius
Philos. curriculo feliciter absoluto.* Certè quod anima corpo-
ri, id Eruditio non proletaria Magistro. Id quod exertis
verbis Poëta noster γ) attestatur in Carm. quod Mich.
SCHERZERI Honoribus Magisterialibus sacravit.

Tolle de corpore animam, & corpus cadaver erit,
potius, quàm corpus. Tolle de Magistro doctrinam, &
Magister truncus erit potius, quàm Magister.

γ] Taubm. in Sched. Poët. p.649, ubi scitè & verè: Doctrina,
Virtus *anima* sunt Magisteri.

§. 4. Secundum locum Forma Magistri sibi ven-
dicat. Est ea nihil aliud, nisi *Magisterium*, seu, quod idem
est, Laurea in Philosophia summa. Modum tertio ordine
collocamus. Consistit ille (1.) in *Examine* δ) & *investigatio-
ne Natalium, Morum, Doctrinae.* (2.) in *Rituum solennitate.*
De quibus omnibus & singulis hîc strictim, in peculiari
verò schediasmate de Magistris, quod in limine Disputa-
tionis polliciti sumus, ex professo, quantum quidem per
ingenii imbecillitatem & cancellos, quibus nos suo tempo-
re includemus, licebit.

SECT. II. CAP. II.

D I V I S I O.

§. I.

A Qualitate (1.) possent dividi Magistri in doctos & indo-
ctos. Sed absit, divisionem istam facere nostram.
Nos potius de quolibet Magistro *πάντα καλῶ* præsumimus &
ingenium, si non semper acutum, certè non obrusum.
Neque omnes distinctiunculas eundem deglutivisse ne-
cesse est, qui vel Magisterium anhelat, vel eo decoratus
est,

est, secundum illud Poëtae, quod Amici sincerissimi manus communicavit :

*Si, nisi qui cunctas & ad unguem noverit artes,
Nemo Magister erit ! Nemo Magister erit.*

(2) Secundum diversitatem Facultatum dividi possunt in Magistros Philosophiæ & Theologiæ, Parisiis enim & Lovanii Theolog. Doctores Magistros, & quidem nostros dici comprobant Lansius 1), & Besoldus 2). Nota benè, Nostros. Pronomen est Noster, ubi DEO tribuitur, fiduciam nostram in eum clarissimè exprimens, ubi creaturæ, vanitatem & æmulationem, ex mente Berneggeri 3), in cuius tamen sententiam, salvâ autoritate tanti viri, nos nondum imus.

De utroque casu loca fortasse desiderantem remittimus ad Catechismum Jctorum 4), Institutiones videlicet nostri Justiniani, quas optimè & piè exorditur his verbis: **In nomine Domini nostri JESU CHRISTI.** Et ad §. 3. J. de donat. ibi: **Divus Justinus pater noster.** Ubi *Noster* in priorî loco, uti patet, DEO, in posteriori creaturæ apponitur. Sed ad rem,

1) in comm. de Acad. p. 74. 2) in diss. de Acad. 3) Or. I. p. 17.

4) Hoc nomine Institutiones J. Civ. quàm sæpissime honoravit Honos & Decus Jctorum LUDWELLIUS.

§. 2. (3) *Ex parte subjecti, cui præsent, Regentes sunt vel Docentes.* Magistrorum Regentium integrum catalogum recensuimus Sect. I. cap. 2. §. 1. Docentium tot sunt, quot præceptores, quocunque demum nomine, s. Professorum, s. Rectorum, s. alio veniant. Cum posterioribus potissimum nobis hîc res est.

§. 3. (4) Et ultimò (placet enim nobis hâc vice Numerus quaternarius, B. L. uti vides in multis) *Respectu loci*

Helmstadiensis sunt, Lipsienses, Jenenses, Wittebergenses & ita porro Ubi ~~magis~~ non possumus non monere, nullos, ubi ubi promoti fuerint, præ aliis præminentiam ex loco sibi arrogare posse de jure; Licet sciamus, quòd eam somnient non pauci. Certè non locus Magistrum facit meliorem, sed Eruditio & Probitas excellentior, & ex his unicè æstimandus est Magister.

§. 4. Rationem Temporis habemus nullam, ut nimirum Magistros dividamus in Hyemales, qui hyemali tempore, & æstivos, qui æstivò creantur. Idem enim prope modum vitii habet & divisio nulla & nimia, uti eleganter loquitur Bernegg. in Or. l. p. II.

SECT. II. CAP. III.

C A U S Æ.

§. I.

CAusa Efficiens Magistri quadruplex est. *Remota*, summus Princeps; quippe ab hoc omnes Dignitates, veluti à Sole radii, adeoque & summus noster in Philosophia Honor, procedunt. *Propinqua*, Cancellarius Academiae. *Propinquior*, Vice-Cancellarius. *Proxima*, Decanus. Pro-Cancellarius Philosophiæ Licentiatos, Decanus verò Magistros s. Doctores creat. Ut ita quilibet Magister quatuor q̄. patres habere videatur.

¶ Verba sunt Perezii in Jure Publ. p. 180.

§. 2. Quod Magistri *Materiam* s. Subjectum Magisterium recipiens concernit, amicissimum Lectorem ad Sect. II. Cap. I. §. 2. remissum volumus, ubi Genus, quod materiæ instar se habet*, enucleavimus.

*) Accu.

*) Accuratè hæc duo, *Materia instar se habere, &c, à materia tantum desumi*, inter se distingvit Exc. Dn. D. FRID. BECHMANNUS, Præceptor olim noster in alma Salana ætatem venerandus, in Colleg. Log. MS. c. 3. qv. 2. Anno 1660. à nobis habito. Prius de Genere A. posterius N.

§. 3. *Forma Magistri est duplex, Interna & Externa. Interna aliud nihil est, nisi Eruditio cum Probitate conjuncta*. Huc trahere possemus L. 7. C. de Prof. & Med. ibi: Magistros Studiorum Doctoresq; excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ. *Externa Magisterium* 2). Utraque ad constitutionem & essentiam Magistri simul requiritur. Neque enim O. eruditus & probus statim Magister est, neque Q. Magister Probus & eruditus.

2) Vid. Sect. 2. Cap. 1. §. 3 & 4.

§. 4. Tandem ad *Finem*. Hic variat. Siquidem unius rei plures fines esse possunt. Quantumvis autem varius sit, nos, doctrinæ gratiâ, in duplicem commodè distingvi posse arbitramur; ita ut alter creantes, creandos alter respiciat. *Creantium finem* rursus duplicem facimus. (1.) est Compensatio industriæ & laborum in studio & studio Philosophico exantlatorum. (2.) Excitatio diligentix in iis, qui vel ipsi Laureas Philosophicas summas tam solenniter distribui vident, vel distributas esse audiunt.

Creandorum s. Magistrandorum finis magis adhuc diversus est. Unicum tamen hæc vice aperimus, studium scilicet & ardorem vel privatim vel aliquando publicè alios docendi.

SECT.



SECT. II. CAP. IV.
C O N T R A R I A.

§. I.

C'Ontraria vel Magistrandum respiciunt, vel Magi-
strum. Illi contrariantur *quatuor*, tales tantique ho-
stes, qui à Palma eum Lauroque Magisteriali omninò ar-
ceant. Hostis primus Thorus illegitimus est. Quem
enim fugit, eundem, qui vix nomen inter Candidatos
ap. Dn. Decanum in hac Academia professus est, juramen-
to obstringi, in fidem Natalium ingenuorum. Ipsissi-
ma verba Juramenti ita habent: *Ego N. Iuro, primum,*
me esse legitimam sobolem parentum meorum. &c. Et istum
morem non tantum Lipsia nostra, sed & aliæ Universitates
observant. De Basilea & Salisburgo idipsum affirmat.
Herm. Hermes in F. J. P. c. 33. n. 166.

Illustre exemplum ob legitimitatem non probatam
repulsam passi, à Collegio quidem Jctorum Mediola-
nensium, nobis sistit in *Iasone* sapius laudatus Hermes I.
c. A quo Jure & meritò, quod non possumus non adde-
re, *Vivius* vapulat, absurdè statuens ^{u)}, spurium non ma-
gis posse fieri Doctorem, (idem de Magistro indubiè in-
tellexit) quàm *Afinus* homo. Absurdè, dico cum Her-
mete. Sapissimè enim contingit, ut illegitimus virtute
& literis ipsum quoque legitimè natum innumeris para-
sanguis antecedit. Accedit, quòd non omnes Academiae
adeò curiosè in Natales Candidatorum inquirant, ,
quod de Tubingensi attestatur *Lansius* in comm. de
Acad. p. 95.

^{u)} Lib. I. Decis. 162.

§. 2. Inscitia secundus hostis est, qui studiosum
repellit à summa in Philos. Dignitate. Inscitiam autem
hîc

hîc intelligimus *excessivam*, non qualemcumque & to-
lerabilem. *Examinatores enim, mediocritate contenti sunt, ne-
que perfectam requirunt doctrinam.* Verba sunt Erythæi in
Or. superius allegata. Dummodò nemo non Magi-
strorum novellorum postea memor sit istius Ovveniani:

Doctor es incipiens, nunc incipe doctior esse.

Adversatur porrò Magistrando *Morum perversitas*, cum
quis plus vini & cerevisiæ, quàm olei consumpsit, & Epi-
curi de grege porcus vel extitit, vel etiamnum existit. Fa-
cit hûc L. 7. C. de Prof. & Med. supra adducta.

§. 3. Infensissimus autem & ferè *ἄσπετος* hostis Infam-
ia est, quem exertis quasi digitis *Constantinus Imper.* jam
ante aliquot secula in L. 2. C. de dignit. XII. ostendit, &
ab eodem quemlibet, qui *νὴ ἀώρεος* cogitat, sedulò cavere
jussit. Verba Imperatoris hæc sunt: *Neque famosis &
notatis, & quos scelus aut vitæ turpitudine inquinat, & quos infam-
ia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.*

In specie infamium nullos, nisi *Judeos*, tangimus. Hi,
sicuti Doctores Juris, ita Philosophiæ Magistri fieri ne-
queunt. Quòd autem ipsis quandoque Doctoratus in
Med. Facultate concessus fuerit, & nonnulli inde præemi-
nentiam Jctorū præ Medicis colligere velint, id nos neu-
tiquam urgemus. Defendat *Lansius*'), & qui ab ipso al-
legatur, suæ sententiæ patronus. Nos honoramus & ve-
neramur Medicos, eorundemque Facultatem Gratiofis-
simam, neque ullam ipsis de præcedentia litem movemus,
nec nisi ad Græcas Calendas moturi sumus.

') in comm. de Acad. p. 85.

§. 4. Quem denique Magister timeat hostem,
Degradatio est ob crimen aliquod enorme. Ex-
C
empium

emplum equidem Magistri exautorati neque vidimus, neque legimus, neque audivimus. Quin tamen existere possit, nulli dubitamus. Parium enim par ratio. De degradato *Tabellione*, *Doctore* & *Cardinali Herm. Hermes* §), in genere quidem tantum, non in individuo, loquitur. *Militum* missionem ignominiosam docet L. 2. §. 2. & 3. de his, qui not. inf. Ubi Gothofr. bene addit, missionem istam in simplici milite factam fuisse per ademptionem armorum, in praefecto vero militum & armorum & insignium privatione. *Sacerdotum* exautorationem tacemus, parentes huic venerandissimo ordini. Exemplum *Professoris* à Collegio suo, ob nefandum *Pæderastia* scelus, in Acad. Rostochiensis IX. Decembr. ann. 1568. merito exclusi *Lansius* *) habet. Nomen, si scire discupis, vide ibi. & hoc silentii populo involvimus, æternâ oblivione sepeliendum.

§) in F. J. P. c. 33. n. 175. conf. Lans. de Acad. p. 96. *) in comm. de Acad. p. 10.

Et nunc exautoramus & mittimus *Magistros nostros*. Sed causariè, sed honestè. Causa brevitatis studium est. Habes benevolentissime *Lector*, non exemplum, sed exempla *Magistrorum exautoratorum*.

Prius autem quàm *Vos*, *Lectores amicissimos*, dimittamus, rogatos volumus, ut non tantum *Sectiones* hasce duas boni & æqui consulant, sed & quæstiones secuturas, quas in nullius aut contemptum aut præjudicium scripsisse nos seriò protestamur.

Quæstio autem I. est de primo omnium *Magistro*, quis fuerit?

Philippum fuisse *Henrici Aucupis* *Consiliarium*, testis est *Herm. Kirchn.* *) qui etiam primum in *Th. Doctorem*, *Petrum*

erum Lombardum, primum item Juris Doctorem, Bur-
chardum de Mangefeldt nominat.

π] Or. 3. Vol. 2. p. 71.

Qv. II. An ambire liceat Magistri Titulum?

Affirmat expressis verbis G. Braudlacht p), & affirmant tot
Academiae reipsa, dum quotannis Magistros creant, quas
tam solenniter peccare, & illiciti quid agere, nemo, nisi
stolidus, dixerit.

Ad locum Matthæi XXIII. 8. ubi Christus ad Discipulos:
'Υμεις δε μη κληθητε ραββι. Respondemus nihil. Respondeat pro
nobis B. Cellarius *), & lumen Eruditorum, Conringius †).
Ridemus interim Carolstadium, ABCDarium (vid. deside-
ratisimum nostrum KROMAYERUM in Posit. Pol. p.
1086. qui ubi secesserat à *Luthero*, frater Andreas, nec am-
plius Doctor dici voluit, motus adducto dicto Evāgelistæ.
ε] Epit. Jurispr. Publ. l. 5. c. 3. §. 15. Conf. Beatiss. Dn. D. KROMAY-
ERUM loc. all. ε] in Pol. succ. c. 14. §. 25. †] Diss. de Antiq.
Acad. p. 126.

Qv III. Quænam ætas Promotioni Magisteria-
li quàm optimè conveniat?

Distingvimus. Nec admodum senilis, nec juvenilis ad-
modum. *Non hæc, tum ob ipsos Candidatos*, ne, occæcati radi-
is & splendore Dignitatis, se aliquid esse putent, & Gradu
hoc delectari potius, quàm libris, occipiant; *tum ob alios &*
digniores, ne, ubi eos coronari videt, qui ante annum, & sæpè
vix completum, à ferula & Donato Scholæ trivialis dimissi
sunt, ut scitè Taubm. meus v), à petitione Magisterii deter-
reantur.

Non illa, ut supersit quoq; tempus pro Studio Facultatis
alicujus Superioris; quippe ætate crescente decrescit me-
moria, ut nihil dicamus de studendi cupiditate, quæ multi-
plicatis annis haud rarerè solet minui. Nihil huc facit.

C 2

exem-



exemplum Accursii, qui quadragenarius animum ad Jurisprudentiam appulisse dicitur. Respondemus enim cum Hanedæio φ), Regulam non constitui ab exemplo.

Quicquid autem ejus sit, nos non adeò rigidos & morosos quis esse credat, ut adolescenti insigniter docto, licet annos nondum 15. nato, honores meritos denegemus, qui nec possumus. Movet nimio opere Hermes γ), statuens, adolescentem 17. annorum J.Cti & Doctoris titulo, concurrentibus aliis requisitis, hodieque insigniri posse. Movet illustre & admirabile exemplum Juvenis cujusdam XX. circiter annorum, Doctoris cum summa laude omniumque stupore, in omnibus IV. Facultatibus renunciati ψ) De *Luthero* nostro, qui anno ætatis XX. Magistri insignibus ornatus fuit ω), nihil addimus. Non id mirum videbitur nostro seculo, quod, ut cum *Wendelino* ω) loquar, pueris cothurnos *Herculis* aptare gestit, & judiciò non expectatò fructus ante florè flagitat β). Cæterum monito *Hœnonii* γ) quæstionem concludo: *Ad Gradus capessendos literarum Studiosos non decee nimium festinare, Sed manum de tabula.*

φ) *diff. de L.L. p. 105.* φ) *Exercit. Imp. i. qv. 6.* α) *in F. J. P. c. 33. n. 130.* ψ) *Wendelin. Inst. Pol. l. i. c. 2. th. 0.* ω) *secundum Melanchthonem T. 4. Or. p. m. 550.* α) *dict. loc. p. 29.* β) *Conf. Lans. in comm. de Acad. p. 75.* γ) *disp. Pol. 2. §. 42.*

Qv. IV. An dignus Magisterio repulsam passus possit appellare?

Aff. cum *Herm.* δ) Nihil ulterius, cum hæc ad altiorem cathedram spectent, addentes.

δ) *in Fasc. 1. P. c. 33. n. 157.*

Q. V. An indignum promoventes puniri queant?

Aff. *Lansius* δ), poenæ speciem, dignitatis videlicet priyationem, insimul subinnuens.

Alia quæstio esset, si quæreremus, an unquam puniti sint, quam intactam relinquimus. Hæc

Hæc enim nihil ad nos.

.) in comm. de Acad. p. 91.

Qv. VI. An Philosophiæ & J. U. vel alterius Facultatis Doctor simplici Doctori, qui non simul Magister est, præferendus sit?

Ita ajunt, dicunt, perhibent. Et haud oblitus sumus, nos id ipsum ex *Exc. Dn. D. GEISLERO* in Collegio Juris Publici ante pauculos annos audivisse, *cujus Nob. Excellentie* pro fideli & sedula informatione, in privato æquè ac publico Jure, publicè gratias agere & svadet & jubet Pietas, &, quo eandem veneramur, Amor.

Loquimur autem non tam de *præferentia itionis & sessionis*, quàm *doctrinæ & Eruditionis*, citra tamen ullius simplicis Doctoris præjudicium.

Qv. VII. An Scholaris Magistri sui opinionem defendere obstrictus sit?

Affirmamus. Ratio est Gratitude & Reverentia in Magistrum ²⁾ omnino debita. *Excipe*, quando Magister est quoddam pecus Melibœi, asinus plumbeus & nominis nullius ³⁾. Tunc enim valet tritum istud: Amicus Plato, Amicus Aristoteles, sed magis amica veritas.

Neque è re esset Reip. eruditæ, si errantem, veluti oves arietem, semper sequeretur errans.

²⁾ quippe cui alioquin *ισοτάλαντον τάλαντον* reddi nequit. ³⁾ ita Lanf. amat loqui in Comm. de Acad. p. 90.

Qv. IIX. An Magister actum non docens Magistri nomen mereatur?

Distingvimus cum Besoldo ⁴⁾ inter eum, qui vel ob ridiculam Invidiam, vel pigritiam deflendam nunquam docuit, nec docere vult, & eum, qui vel ob senium, vel aliam causam prægnantem docere destitit, aut occasione fortè docendi destituitur.

Affirmamus jam de hōc. *Negamus* de illō. Indistinctè autem quæ-
stionem asserere, temerarii & nimiam sibi tribuentis Ingenii est.

[] *diss. de Studios. &c. p. 81. & seqv.*

Qv. IX. An non-MAGISTER Magistros ordinariè
creare possit ?

Dicimus notanter: *Ordinariè*. Et *Negamus*. *Ratio* (1) quia, qui
non est miles, non facit militem, qui non est Doctor, non facit
Doctorem, uti Baldus alicubi loquitur. Quod autem de uno pari-
um valet, valebit etiam de altero.]

(2) quia aliàs Promotor fastum & turpe Graduum fastidium suo
ipsius exemplo malè doceret. *Lanf. **)

(3) quia usus & consuetudo reclamant. Ita quamvis promotio
Magistrorum in Acad. Argentoratensi per omnes Facultates va-
getur, & in orbem eat, nulli tamen creatoris munus suscipere lici-
tum est, nisi & ipse sit promotus Magister teste modò laudato
Lanf. loc. cit. p. 67.

(4) quia, ut Magistrorum Promotor ipse Magister sit, *de forma*
est Promotionis Magisterialis, argumentò eorum, quæ habet.
Herm. λ) At verò formam immutari posse salvâ re, absurdus esset,
qui diceret.

Sed ulò autem Præcavemus, nos in hac sententiâ minimè esse,
quòd Magistri, quatenus Magistri, Magistros creent. Crassam id
profectò Juris publ. ignorantiam proderet. Regale enim est, & ex
concessione Imperatoriâ Magistris datur Magistros, creandi li-
centia ac potestas *μ)*. Quin tamen ea ipsa licentia & non-Magistro
à Principe demandari possit, inficias ire nolumus.

[] *vid. Herm. in J. P. c. 33 n. 156. *]* *de Acad. p. 66. λ)* *cit. cap. n. dict.*

μ) *vid. Lansias de Acad. p. 66.*

Qv. X. An Laurea in Philosophia summa Nobilitati de-
roget, eamque dedecoret & obscuret ?

Ita ferè videtur, dum nemo Nobilium eam hodiè petit. Et petens
certè etiam non Nobilium (fatendum, quod res est] fabula fieret.
Tantum tempus & mores possunt. Sed olim non erat sic. Tunc enim
Barones, Comites, & Principes Magisterii Intulam exosculaban-
tur. Unicum hâc vice nominamus, *HERMANNUM, Landgra-
vium Hassie, eruditissimum Principem, de quo vid. Herm. v)* &
Kirchn,

Kirchn. §] Nec cuilibet Nobilium tunc temporis contingebat adire
Corinthum istam, vel ob ingentem sumptuum magnitudinē, quam
ex remissione summæ noscere licet in *Clem. Cū sit. de Magistris.*

1) c. 33. n. 167. §] Or. 3. Vol. 2. p. 79.

Qv. XI. An quis seipsum, citra notam laudis propriæ,
scribere & appellare possit Magistrum?

Videmus id quotidie praticari, & audimus id ipsum ab ipso
quoque DECANO in Promotionis actu. Magis tamen delicatulos
nos esse circa *appellationem*, quàm *scriptionem* subinnuimus.

Qv. XII. An Compellatio Magistri in diminutivo facta
injuriola sit?

Scimus, ipsa quoque aliàs Nomina Propria, ut ab Erasmo E-
rasmiolus o), à Justo *Justulus*, amatoriam *Μειώσις*, solere in diminutivo
usurpari. Ut adeò, si idem fatum dignitatis & officii nomina sub-
inde experiantur, non statim colligi possit, injuriam esse, verbis
aut ferro vidicandam. Respicendum enim ante omnia, *quis dicat,*
ubi dicatur, & *quomodo* quid dicatur.

o) Erasmi. in Colloq. p. 7.

Et nos respicere jubent, quantum dici debeat à Disputatore,
Philosophica *Brevitas*, & *negotiorum*, quibus *honoratissimi Lecto-*
tores aliàs distringuntur, *seces.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO!

Benè ^π) autem Vos! Benè nos! Benè etiam nostrum
delitium,

ACADEMIA!

π] Formulam hanc precandi benè inter salutis potationes Veterum
Rom. usitatam Rosinus habet l. 5. A. R. p. m. 837.

Ne Vacuum hinc datur, adjicere *μαγίεϋ* quædam
placuit

Z H T H M A T A.

I.

AN Jus in publicum & privatum dividi possit?

A. Licet O. aliàs Jus publicum sit.

II. Num

AK 17 845
II.
Num homó unquam viderit hominem, ?

N.

III.
An ministri Academicí, quos PEDELLOS vulgò,
sed non adeò benè, dicimus, privilegiis Studioforum
gaudeant ?

A. Et habemus, si non alios, certè eos, de quorum privilegiis
agimus, nostræ sententiæ amatores.

IV.

An pars sit prior Toto ?

A. & N.

V.

Quid de ROSA HIEROCHUNTINA, & ejus quidem
apertione spontaneâ in Noctè Natiuitatis Dominicæ, sen-
tiendum sit ?

Informari cupimus, nostrum hîc iudicium suspendentes.

VI.

Num Oppida munire muris, vallis, & propugnaculis,
è re Reipublicæ sit ?

A. quicquid Machiævellus contra machinetur.

VIII.

An O FINIS bonus sit ?

Affirmamus.

Num autem finis Disput. nostræ Magisterialis, unâ cum e-
jusdem Principio & Medio bonus sit, LECTORES
judicent, quos sicubi hallucinati fuerimus,
veniam daturos confidimus.

Errare humanum.

Sed divinissimum erit, Angelicum istud reperere :

GLORIA
IN EXCELSIS DEO!



Ph
In B
P
U
nere ex
pœniten
ca hæc
sulat.
orem E
dignita
Disputa
scriptu
refellit
fessores
nium f
parte,
mo exp
mina,
At tam
cujus q
me cer

effloribus
t. Philoso-
ICIS,
rdio !
lem sanè & politi-
re animus erat, pro
e in hoc Studii ge-
λη. Neque fortasse
simum Lector man-
s æqui & boni con-
olliceor, quò certi-
rorum Virtutibus,
t, sub alio, quàm
Non pruritu aliquò
m Pythagoræum,
, Magistri & Pro-
lyta me, ante bien-
Debitum jam ex
fiduum æquo ani-
os, Academie Lu-
t in quarto modo.
m, vel levissimam,
le Amore Vestro in
, Juvate
LIEGNERUM.

